

Rimanturq; soli genium, atq; à fluctibus austri  
Remigio gelidas quâ trañciatur ad arctos.  
Hæc miracula tamen prior ignorauerat ætas.

Quid dicam? Meditrina, audet, iam sindone palla  
Splendidior, priscum Asclepi superare Senatum:  
Partibus vsq; adeò tersa est, venerandaq; cultu.  
Sed mage sub cœli tabulata nitentia vultum  
Erigit, impurâ postquam medicamina fece  
Promethei igniculus soluens, est inutile terræ  
Pondus, in exiguæ compingit corpore molis,  
Quidquid inest succi medicamine, quidq; animai.  
Hunc licet Aegypti mystæ, mystæq; Pelasgi,  
Et Latij atq; Arabes libârint nectaris haustum:  
His tamen enituit, resipitq; suauius annis.

Sed fatum! inuenias, quibus est pituita molesta,  
Qui Chymicas, sacra ipsius donaria Iouæ,  
Detestantur opes. Genus insanabile ternis  
Anticyris! Quasi non Sophiæ atq; Machaonis almo  
Gaudeat amplexu Chymie, illibata virago.

Hanc tua fucorum quia bombis docta Thalia  
Vendicat, & quâ sit, ZVINGERE, propagine Diuim  
Indigitat, quorsumq; sacro se diuidat vsu,  
Non implexa strophis, nec agyrtae aut Stentoris arte:  
Tu quoq; iam dignus victuræ es cortice cedri,  
ZVINGERE, aut si quid victuræ cortice cedri  
Dignius est: Virtus nisi Famæ auulserit alas,  
Vel pesso obducto templum obturauit Honoris.

Accinebat L M Q Heidelbergæ

Caspar Dornauus D.

):( ):( 3 Er-